

que suam fecisse Doctissimum Glareanum, sequentibus versibus docet :

*Et Græci πῆνυν pagum fortasse Latini  
Totius fluvii sulcos dixere propinquos:  
Et villas juxta positas, vicosque, casasque.  
Non etenim credo pro vico dicere pagum,  
Scripta monent aliud, testisque adducitur hostis.*

Hinc pagus Gallica lingua pays i. e. regio dicitur. Isidorus in Glos. pagus, collegium, curia. Scilicet respicit δημοὺς Atticos, qui partem regionis, ejusdem juris & ditionis, in qua sunt vici & oppida, notabant; notante illud Magno Grævio in ad Isid. Gloss. in voce pagus observationibus. Ita ergo hi Suevorum pagi integros notant tractus, sive curias, quas majores nostri gau vocabant, a Græca voce γαῖα; unde tractus propter Rheni ripam ad Moguntiacum Rheingau: Hænoniæ comitatus, das Hennegau / cetera.

VII.

Neque in his pagis i. e. provinciis, oppida vel urbes reperiuntur. Constat enim inter omnes, qui umquam de rebus Germanicis aliquid memoriæ proderunt, ante Augusti atque illa tempora, quibus Germanos armis suis infestare coepit caput orbis Roma, suisque legibus & ritibus imbuere, nullas in Germania repertas fuisse Urbes. Quod Taciti iterum testimonium l. c. confirmat: nullas, inquit ille, Germanorum populis Urbes habitari, satis notum est: colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Scilicet ipsis urbes & ædes

— — — — — antra fuerunt  
*Et densi frutices & junctæ cortice virgæ.*

Neque ex Cæsaribus lib. IV. comment. de b. G. cãp. IV:

B

con-